

29

Księży

Opuscula in his miscellaneis sub W^ro contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sin. l.t.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski: utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675
3. Inaccessa Sanctissimæ Virginis Montana
4. Majestas sacræ claromontanæ Imaginis p Thom. Gromnicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
5. Oraculum parthenium Virg. Deiparæ honori p Dionys. Chełstowsk. O.S.Paul. Claromonti 1717. Orat.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. Majestas a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski Crac. 1668. simil. n.º 2.
7. Theatrum Marianum.. in nemore Lezaycensi a Seb. Piskorski venerab. dem. Crac. a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.

8. Kazanie przy tuszym solenn.^m Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bł. Stan. Kostki przez Stefana Szczanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Kalisz.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gnińskiego na Ur. B. Stan. Kostk: 1657 miane. w Krak.
10. Korona z pochwał SS dwóch ... uwita p X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S.Jan Nep. i Ant. Padew.
11. Laska i pieczęć nadwornia Niebieska. czyli Kazanie na S.Jan. Krzciciel. i Jan. Nep. p X. Fortunata Łosiewskiego^+ w Krak. 1732. + Franciszkana.
12. Malogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xiężn. Ostrogskiej p Woyc. Czarnock.^o S.J. Krak 1636
13. Promulga Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie p X. Fortun. Łosiewsk.^o Krak. 1732
14. Syn przyrastający S. Józef. czyli nań Kazanie p X. Marcelli Dziewulsk.^o Franc. Krak. 1725.

15. Acumen Doloris ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. p Mathæi Jos. Kołędowicz Crac. 1721.
16. Ad mentem Patriæ caput Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatum a Coll. Posn. S.J. relat. Posn. 1699.
17. Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joa.^o Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687
18. Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiołek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19. Dissertationes sup rubricas de sepultura et sumptib. funer. p Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20. Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński p Seb. Tortowski Crac. 1712. orat.
21. Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
Encomium ad solemnes exequias
In obitum Seren.^mi Principis
Jactura orbis Literarii transmissa } deficiunt.
22. Xiężyc JW Leliwy w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak. S.J. 1729. Xiężyc
23. Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria Sæculor. in obitu Aug. II p Ign. Cant. Herka. 1734. panegyris
25. Monument.^m doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versus lat. et pol. p Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26. Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stokowski porrecta p Joan. Byszkowski Crac. 1672 Orat.
27. Monumentum aurea pipenni exaxictu in ob. Alb. Koryciński Arch. Epp. Leop. p St. Jos. Bieżanowski Crac. 1677. orat.
28. Munus et dolor Sæculor. Stan. Dębski Eppi Crac. compilatus a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini p Ant. Jos. Żołędziowski descripta Crac. 1750. Poesis.
30. Splendor Korybuthei Syderis in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine consecratus Crac. 1676.
31. Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chomętowsk.^o p X.^o Brun. Osieck.^o Z.S.P. Częst. 1729 Kazanie
32. Tropheum ex immatura morte Helenæ Opalinia in Eccl. Rythu. a Carolo Trevani paneg. consecr. Crac. 1676.
33. Viva mors seu morti superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraż a Nic. Grodzenski Crac. 1631. elogia.
34.

Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

Anonymus	1, 16, 18. 21. 22 23. 28.	Gniński Jan Chryz. Benedykt	9.	Tortowski Sebastianus	20
Agnensis Joan. Bapt.	2, 5.	Grodzienski Nicol.	33.	Trevani Carolus	32
Bieżanowski Stan. Jos.	2, 5, 27.	Herka Jgnat. Cant.	24.	Żołędziowski Ant. Jos.	29.
Brocki Mathias	30.	Kołędowicz Mathias Jos.	15		
Byszkowski Joann.	26.	Lipiewicz Andreas	19.		
Bytomski Joann.	7.	& X. Antoni O.M.	10		
Chełstowski Dyonysius O.S.Paul.	4.	Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr.	11. 13.		
Czarnocki Woyciech S.J.	12.	Osiecki X. Bruno Z.S.Pawł.	31		
Dzidowski Joan. Stan.	17	Piskorski Sebastianus 6 Gromnicki Thomas	3.		
Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr.	14.	Rzewuski Stanislaus	25.		
		Szczaniecki X. Stefan S.J.	8.		

CLASSICA
MORTIS
FERALIA

Luctuosum obitum

Magnifici olim Perillustris Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini

D. M. JOSEPHI GREGORII
POPIOŁEK

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Ejusdemq; Facultatis Decani, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam Præpositi, Scholarum Vladislaviano: Novodvorscianarum Provisoris; Facultatum Theologicæ & Philosophicæ Procancellarii, Studii Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis

RECTORIS.

Viri de Ecclesia & Republica Literaria Meritissimi
Intra Classes Novodvorscianas,

SONANTIA.

Ac dum

Piis Ejus Manibus
In Ecclesia Collegiata S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam
Justa Parentalia
Lugubribùs Cerimoniîs persolverentur
Ad vocalem immortalis gloriæ famam
& posthumam Nominis memoriam
Doloroso Academicæ Juventutis Spiritu

EXCITATA.

Annô Quô

ÆternI VerbI ConsonantIa DataCæLò Manet.
Die 17. Mensis Julii.

CRACOVIÆ Typis COLLEGII MAJORIS.

PERILLUSTRIBUS CLARISSIMIS & ADMODUM REVERENDIS D. D.

D. M. CASIMIRO STĘPLOWSKI,

Sacræ Theologiæ PRÆSENTATO, ejusdem ac Cursûs Speculativi PROFESSORI, COLLEGÆ MAJORI, Ecclesiarum; Collegiatæ S. Floriani Clepardiæ CANONICO, Ilcussiensis & S. Jacobi Casimiriæ PRÆPOSITO, Seminarii Academico-Diæcesani PROVISORI ac Præfecto, Ordinandorum & Approbandorum Synodali EXAMINATORI, Scholarum Vladislaviano-Novodvorscianarum VICE-PROVISORI,

ET

D. M. ANTONIO WOYCIECHOWSKI,

Sacræ Theologiæ PROFESSORI, COLLEGÆ MAJORI, Ecclesiarum Collegiatarum; Sancti Floriani Clepardiæ ad Cracoviam CANONICO, Sanctœ Annæ Crac: SCHOLASTICO.
Ultimæ voluntatis piè Defuncti
EXECUTORIBUS INTEGERRIMIS.

Strepunt in auribus sonora classica
Ab Orbe Palladis volando Craciæ,
Ubi dolenda RECTOR optimus piè
Subire fata sorte debuit tetra.
Dolent Senes, Iuventa plangit intimîs
Tenendo cordibûs Ducem, Patrem Scholæ.
Acerba PRÆSTITES premit deinde Vos
Imago Mortis horridæ, quibus vigens
Amicus Æstimator Ioseph fuit,
Adinvicem fuisse Vos Et patet.
Labore RECTOR optimus quod arduo
Paravit, istud omne per manus pias
Cupivit ire Vestrûm, ut inclytum Poli
Locum Vir integer teneret ocyus.
Huic dari pias geriq; lachrymas
Ut expedit, pari, PATRES superstites
Vigere mente comprecarier juvat:
Ut Aula Palladis probîs nitens Virîs
Iisq; condecora floreat diu,
Favente Corde singuli sonum damus.

CLAS-

CLASSICA
MORTIS
FERALIA
CLASSICUM I.
CLASSIS DIALECTICÆ
Vocali lugubris Styli tenore
RESONANS.



HOrrorem incutit; quis non paveat? ſicubi mortis inſonet claſſicum, ferales ſicubi litui in tonitru fatorum ſonitum edant luctuoſum. Proh dolor! obmuteſcunt vocaliſſimi, fatiſcunt invictiſſimi, ceſpitant velociſſimi, & quotquot mortales hujus vocem tubæ audiunt; perpetuô ora ſilentiô ligant. Eheu Victores Orbis Macedones! carnea terræ propugnacula Enceladi, Geryones, Achilles belli-coſi! o quot horriſono perculſi fragore dant vinctas uni Libitinæ manus! evaneſcunt in corpore, minuuntur in animo, & citra paradoxum inermes cedunt in ſpolia fatis. Feralia hæc mortis claſſica ſunt, ſemper aciem bellorum indicunt, & luctam luctu terminant. *Mili-*

tia vita hominum super terram, pro victricib9 palmis, triumphalibus laureis, aut lugubres cupressos, aut funestas recipit taxos. Dormiant Endymiones, non excutiant lethargum inertes Sardanapali, (si detur fides) olim ad cytharam Amphionis Thebarum surrexisse mænia, ad vocaliorem tubæ mortis clangorem ocyus resurgent de somno excitati. O vocem illam sonoram! quam efficax est, o Niobæîs deplorandam lacrymîs Libitinæ falcem! utinam spinîs potiùs & tribulîs hebetetur acutîs, priusquam in segetem viventium, nominis ac Honoris incidat messilegium. Quæ amabò adversùs impetum mortis ballista, quem contra nec potens Ajacis Clypeus, nec Herculis robur, nec armatæ Gradivi quidquam proficiunt cohortes. Ab hoc sonitu fatorum auribus Regum horror incubat, coronis insidet, evectis ad quemcunq; eminentiæ tholum capitibus præit. Vix ubi classica intonuere mortis, illicò giganteæ cecidêre moles. Ahenei corruêre muri, amicitiæ sunt rupta fœdera, præparata gaudiorum theatra publicam abscondêre faciem, feralem induêre catastropham, festivi ignes in fumidas diræ Atropos tædas abiere. Atq; seriò cum Pòëta.

Inde

Inde; ubi clara dedit sonitum tuba; finibûs omnes
Haud morâ prosiluêre suis. - - - - *

O Sortem hominum! quàm misera est, o vim fatorum inauditam, quàm multùm potest in mortalia. Lucios umbrîs contegit sepulchralibûs, ne luceant, inumbrat funesta fuligine Fulgentios, ne fulgeant, diuite auro spoliat Aurelios; ne per auras volitent & aures virorum, alios toto Orbe vocales supprimit adeò; ut nunquam classica mortis famam eorum sonent memorandam. Hic verò tubæ sonantis ipse sibi in obitu triumphus est *Magnificus olim Perillustris Clarissimus & Admodùm Reverendus Dominus M. JOSEPHUS GREGORIUS POPIOLEK Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Eiusdemq; Facultatis Decanus, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam Præpositus, Scholarum Vladislaviano-Novodvorscianarum Provisor, Facultatum Theologicæ & Philosophicæ Procancellarius, Studii Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis Rector,* Cùm utpote publicâ Nominis, Virtutum, ac meritorum suorum famâ claret post fata superstes. Frustra marmoribûs gloria quæritur, quã moribûs merere non libuit, in ignonimiam vergit extinctorum cinerum solemnitas, qui tenuem fovent rectegestorum ignem, modicus semper à cupresso plausus, cui vitá decora

B laurum

* *Virgil: Lib: 5. Æneid.*

laurum non porrexit virentem. Hunc nulla quâ viveret ætas operosum non loquitur, edecumatîs laboribûs ac ingentibûs meritîs plenum non recenset Virum. A primis statim incunabulis conscia bonæ mentis ejus pectoris sedem prima insedit posseditq; virtus, & ut in ea bonorum animi Metropolim faceret; nasci eum Cracoviæ in Regni Metropoli & voluit, & curavit. Ex ungue Leo, ex flore fructus cognoscuntur futuri, ex florido Josephi ac simul Accrescentis nomine quid non pari inferendum eventu, utpote ab illo intaminatum animi candorem, fragrantem jucundæ vitæ odorem; ab hoc majus sibi famæ pretium, & quorumvis incrementum bonorum affuturum. Ita est: à teneris virtutum semitam ingressus, nunquam exorbitavit, ætate adolescens, rectefactîs Senex, adeò, ut autumum cum vere conjungere & in se explicare videretur. In Regia Divi Jagellonis Aula doctioribus fideliter obsequendo Musis, totum inibi primæ suæ ætatis exegit tyrocinium. Literariam quotquot gressibûs calcavit arenam, tot illius athomos immortalis sibi in Olympum gloriæ suscitavit. Decurrebat Studiorum Olympia non Ephorus segnis, ast indefessus curîs

Theo-

Theopompus, nullibi tamen ſuis præfixit metam laboribus; aſt proſperè eruditæ in campo Palladis & proceſſit & profecit. Novit perbellè *Magnificus olim RECTOR* hominem natum ad laborem eſſe, ſicq; naturâ comparatum; ut quæ vel amæna ſunt ad jucunditatem, vel commoda ad Rerumpublicarum utilitatem, vel ad commendationem honeſta, ea demum difficultas concipiat, geſtet induſtria, parturiat labor, ſudor progignat. Novit certò certiùs quòd nemo ſomnô evaſit potens, nemo victorias deſidiâ reportavit, aliàs quòd nec victoriæ dormientibus, nec palmæ dentur otioſis. Novit quòd pretioſa labore veniunt, aurum nonniſi poſt ſuperatos Gryphes, effoſſas terras, poſt æquatos deniq; montes reperitur. Hic itaq; laborem labore, merita inſequebatur meritîs, ut brevi laurearum ſtipendia à Cracia Pallade æquò promeruit ſibi conferenda. Erubeſcit ipſa rernm naturæ facies; ſi in Viris ſapientibus Princeps animus ſine mitra; & ſi quod auguſtè ſapit in Regno Sapientiæ, nec trabeam habet nec coronam. Ad emerita certè capita ipſæ properant coronæ, non alibi feliciores, quàm dum illas inumbrant frontes, quibus ipſe plura debet Orbis. Virum ejus-

modi jam humanioribûs excultum Artibûs, nactæ sunt sibi Laureæ Philosophicæ, qui vix eas in frontem emeritam traxit, illicò totus in se coronatus fuit. Cathedram Academicam tot simul Cathedris jungens, quoties Divorum Encomiastes, quoties Serenissimorum & Illustrissimorum Nominum Panegyrista, quoties pro Aris & Focis resonavit Orator, veluti per omnes Sapientiæ Delphos suæ Oraculîs inclaruit Eloquentiæ. Videre erat in Statione Academica quadraginta proximè ab annis (*) ast minimè stantem Operarium, ubi Heròem indutus animum ingentium rerum cæpit esse Atlas, tam infractus, tam domi forisq; docendo ac disputando invictus; ut cum alii sterilescerent otiô, & ex Philomusis amusi fierent, Ipse gloriosiùs triumpharet. Crevit tandem & ocyùs & solidiùs in Atlanteum rerum Academicarum columen Jagellonici cor & anima Phæbi Rector olim Magnificus, in quo statim morum gravitas, æqui ratio, honesti & boni communis amor ceu in illibato vitæ & Sapientiæ speculo sat clarè eminebat. Hac animi temperie & dotibûs instructus eximiîs, Philosophicîs, Mathematicîs, ac penè Theologicîs imbutus scientiîs quotquot in suo ascensus Academici

(*) *Promotus ad imam Lauream A. 1719. tandem factꝰ Philosophiæ Doctor A. 1721.*

demici gradu præclaros actus laudabiliter pergit, tot lauros æternitati inſeruit virentes, tot ſuæ coronamenta virtutis comparavit. Nulla fuit in Orbe Literario Sparta, quam promptiſſimô non ſubiiſſet animô, ornâſſet actione, opere conſumâſſet. Stetit non ſemel dextro Hercule in arena Literaria, & licèt ad eam non Cæſaris votô profectꝰ, quotquot tamen adverſas hoſtis movit catervas, venit, vidit, & vicit, ipſe verior ex utroq; Cæſar dicendus. Inter ſeveriores Philoſophantium Porticus non ſuperciliosos Catones, non Moroſos Cynicos, non in rigida Stoa ſynapi mordentes oſtendit Zenones, aſt, ipſe comis, placidus, tractabilis, plús defactò profuit ſvavibûs verborum etheſiîs, quàm aſperîs ſtridens Eolus ventîs. Atticas noctes quantumvis ſæpenumerò traduceret, Cleanthis tamen lucernam non jactavit, & bene: quia ſub umbra & cortina modeſtiæ latere voluit, quomodo fuerit in luce erudita profundꝰ. Tanta ac tam maxima utpote Emeriti Profeſſoris geſta Academicorum à primo intuitu laborum & vidit & coluit Literarius Orbis, eoq; digna præmio cenſuit, quod maximis debetur operariis. Quantúm Vniverſitatis, Patrum, Profeſſorum, quantúm aliorum cordi ac delicio

adhæſit, quantùm (ac præcipuè illius inoccidui Academici Poli ſideris olim *Martini Waleſzynii* qui & magnas Ejus æſtimavit dotes, & Paternîs ſæpeſæpiùs accumulavit favoribûs) amori fuit, penna non metitur oratoria. Dixiſſe hìc ſatis eſt, quod nulla re magís quàm laboribûs & bonîs ſucceſſibûs Academicîs recreari conſvevit, ab honorum ambitione alienꝰ totus Literariis immerſus ſudoribus, tempora & luſtra laudatiſſimîs vitæ ſuæ actionibûs cõplevit non inglorius. Aliàs dicere fas eſto nullum Ei tempus mortuum fuit, quàmdiu inter mortales vixit, quia nullum ſine opere, ſine DEO effluxit. Agant hìc majora facundiores Tullii, diſertiùs loquantur Cicerones, immortalem Viri de Eccleſia & Republica Literaria Meritiſſimi gloriam, virtutes, merita amplificent, & quem Claſſica mortis ſonant, Huic ſincerum conteſtando dolorem, æternam cum DEO precando requiem Dialectica in majorem victuri Nominis plauſum hoc breve poſuit

Argumentum.

CLAS-

CLASSICUM II.
CLASSIS RHETORICÆ
Vim fatorum
Vi Virtutis & Sapientiæ repressam
Acutô vocis Oratoriæ tonô
PERSTRINGENS.

Heu vanam sine viribus fatorum iram!
quàm multùm res in humanas potestis & nihil.
Furor:
quô in miseros debacchamini mortales!
metum aliis, risum aliis movet.
Mortem omnibus natura proposuit,
timorem sola desperatio incutit.
Moriendum est omnibus,
non omnibus mærendum.
Fato omnia subsunt
tristi non omnia letho.
Nemo mortem plùs æquô timet,
quàm homines:
nihil magìs funera temnit,
quàm inculpabiles actiones humanæ.
Edaci diræ Lachæseos dente
mortalia roduntur corpora.
Animi immortales
exanimem rident Parcarum amentiam!
Extrema fatorum dies!
tristem aliis Hesperum,
lætum aliis Phosphorum vehit,
his crepusculum vitæ, diluculum illis,
extingvit & accendit.
Meritò quidam Philosophus,
pavorem divitum, favorem pauperum,
inevitabilem eventum, incertum exitum,
fugam vitæ, & omnium expectationem,
mortem definivit.

Cur ergo?
O leporina quorundam corda!
temnendum vobis adeó timendum fatum?
canunt læti ſuum lethum olores;
vos Niobes næniîs auras impletis & aures!
Dedecent lugubres; viros cordatos lachrymæ:
penes aniles iſtæ pellantur ineptiæ,
obire idem quod eſſe perire.
Mortem terribilem fore;
non eo inficias,
Sed ijs, quorum cum vita omnia extingvuntur,
non ijs, quorum laus nunquam emori poteſt.
Animum eruditum fatum non terret;
neq; enim turpe forti viro unquam accidit,
nec immaturum Conſulari,
nec miſerum ſapienti.
Eam infractam magnanimi pectoris fortitudinem,
nulla vi infringendam fatorum,
In
Magnifico olim Perilluſtri & Admodúm Reverendo D.
D. M. JOSEPHO GREGORIO
P O P I O Ł E K,
Sacræ Theologiæ Doctore & Profeſſore, ejuſdemq; Facultatis Decano,
Eccleſiæ Collegiatæ S. Floriani Præpoſito,
Facultatum Theologicæ & Philoſophicæ Procancellario,
Scholarum Novodvorſcianarum Proviſore,
Studii Generalis Univerſitatis Cracovienſis
R E C T O R E.
Orbis ſtupebat Academicus.
Hic Virorum:
Optimas & optimus,
ſapientiſſimus æquè ac fortiſſimus,
Cujus Divinus prope animus,
magnitudine conſilii, humanarum rerum tolerantia,
contemptu fortunæ, omnibûs deniq; virtutibûs,
ut mænibus ſeptus,
nullâ mortis violentiâ,
vinci aut expugnari potuit.

Quid

Quid mirum!
Soles Scholastici
atram vitæ dum patiuntur eclipsim,
lucis non laborant deliquiô.
Sacra Apollini laurus
Ad Syrium fatorum non langvet,
servat imò æternum fronde virente decus.
Solidi Sapientiæ uniones
pretiosa salsi de fronte sudoris germina,
non funalibus tædarum flammîs,
non ferreâ Mulciberi Vulcaniâ.,
in cineres & pulveres sepulchrales conteruntur.
Ille Titaneo more.
illustrem mentis eruditæ quâqua versùm vibravit radium,
ubiq; crassa ignorantiæ caligo, ubiq; erroris nox atra cedebat)
et eccur,
lugubrem quoq; post vitæ occasum,
serenum gloriæ sudum non teneat?
Ille doctô redimitus corymbô,
Laureatus in Philosophia Doctor
eruditione eximius, virtute venerabilis,
utrâq; Excellentissimus, Clarissimus utrâq;
et eccur,
liber à fulmine fati.
funestô atræ oblivionis fumô obducatur?
Ita profecto;
vivet recenti semper in fama mortuus,
(si tamen jure mortuum dixi)
qui pulcherrimîs facinoribûs dum viveret,
immortale suum nomen,
seculorum tenendum memoriâ,
æternitatis legendum fastîs,
posteritatis lugendum lachrymîs,
tradidit, transcripsit, commendavit.
Amplitudinem sui animi metiri prætendis?
Ptolomæum sive Euclidem induas,
menti ejus vastissimæ,
proportionatam non invenies mensuram.

Major ille se ipso usquam à nemine non visus,
exantlatorum laborum, gloriosissimorum mole operum,
minorem Orbem cùm implesset Polonum,
Alter Macedo,
aliam magnitudini virtutis suæ quærens Provinciam,
Poloniam occupavit Majorem.
In hoc nihilominus dispar à priori;
gladiô, quòd ille, hic calamô,
is Marte, hic Arte,
potens, felix, victor, triumphans,
ille feras domabat gentes,
hic minùs cultas Juventutis MAJORICÆ indoles,
ad rectam discendi & vivendi reducens disciplinam,
sibi in triumphum ducebat.
Poëta inibi & Orator.
æquè primâ laudabilis spartâ,
æquè secundâ gloriosus provinciâ.
Et lingvâ & calamô promptus,
utrumq; artis metricæ officium,
rarâ pertinacis laboris diligentiâ,
rariore tam feliciter explevit exemplo;
ut svavî doctrinæ suæ harmoniâ
nunquam meliùs lusisse Apollinem affirmares.
Fontes Rhetorici.
ad turbida Varthæ fluenta,
dulciori haud aliquando manarunt torrente,
quàm dum de salso sudoris ejus stillicidio,
nectaream studiosæ mentes haurirent ambrosiam.
Facundum hunc & fæcundum Professorem
profanis seu de exedris, seu de sacro suggestu,
verba cùm facientem audisses;
Romanam Eloquentiam.
crederes perorasse.
Nec privata duntaxat Musæa,
gravî ejus Oratoriæ vocis personuerunt tonô,
vocalis stetit toties in publico Orator,
(a) Divi sive quoties Cœlites devotum invitabant Encomiastam,
(b) Publicæ, sive Procerum Regni inaugurationes,
officiosum urgebant in elogia calamum.
(c) Do-

(c) Dolenda ſive magnorum in Orbe Virorum fata;
lugubrem lachrymîs imbuebant pennam.
Nullo non tempore
gratô applaudentis ſvadæ obſequiô
& certare par & reſpondere paratus.
Parum tamen ad gloriam, licèt non parum ad meritum eſſe;
humanioribus immorari, ſibi voluit ſtudiis;
ad Divinam propiùs accedens ſcientiam,
humi ſerpere neſciam mentem, altiùs ſupra elevavit humana.

Ex auguſto Eloquentiæ Palatio
Oratorum Princeps.

Diœceſanam Cleri Poſnanienſis in Domum

deſcendit Seminarii Præfectus,

& animis & animabus inſtituendis deditus,
utrobiq; expectationi Eccleſiæ, Patriæ deſiderio adæquatè reſpondit.

Etenim
omnis Regio, Regnum & Provincia,
Alexandro ferax Victoriarum Campus.
Omnis ædes, laresq; domusque
Ariſtoteli Peripathus, Platoniq; Lycæum.
Omne Cæleſte in Zodiaco ſignum,
auguſtus Principi Planetarum thronus,
ex quo amicum Orbi diffundit jubar.
Tanta laborum ſub mole,
ſtetit infractus Atlas,
nulli oneri robuſtos ſubtrahens lacertos,
nullas non enervans moleſtias,
difficultates exſuperans omnes.
Fregit Alpes (*Parnaſſum intelligo*) Annibal,
invictos mortalium animos,
dulcî eloquiô potens Tullius,
ſibi ſvaviter in triumphum duxit,
reſolvit quæ erant dubia, illuminavit quæ obſcura,
diremit quæ controverſa,
Thomiſta Theologus.

 Inſi-

(*a*) *Panegyres in laudem D.D. Thomæ & Bonaventuræ.* (*b*) *Panegyris Vladiſlao Radomicki in ingreſſû ad Palatinatum Poſnanienſem. Joanni Tarło ad Epiſcopatum Poſnanienſem, Joanni Radomicki ad Generalē Capitaneatum Majoris Poloniæ.* (*c*) *Et in obitum ejuſdem.*

Insignes adeò Lubranscianæ in arena Palladis post victorias,
Pòëticis, Mathematicis, Rhetoricis, Theologicis,
exantlatus laboribûs,
velut post edomita Stymphalia monstra,
Victor redit in Patriam Hercules.
Hîc tantò lætiori exultantis Matris Academiæ excipitur cum jubilo,
quantò tædiô expectabatur majorî.

Cumq;

Literario in Orbe.

ad literarum culturam continui redeant cum luce labores,
fructus honoris onus, laborisq; sit præmium labor,
protinus,
Statione in Academica nunquam stationarius Professor,
irrequieto succedentium scholasticorum moliminum Orbe,
perpetuum acsi mobile fore.
gyrari voluit.
Volubili hoc curarum in circulo,
Planetam eum cave dixeris,
regulares ille semper ciebat motus,
nunquam ab orbita eruditionis & probitatis deflectens.
Ea urgente meritorum promotione,
Minus Artistarum vocatus in Collegium,
sibi quidem minimus videri volebat,
qualem modestia & humilitas in omnibus præsentissima Universo exhibebat
At vastitas ingenii immensa, amplitudo scientiarum summa,
cæteris imò se ipso reddebat majorem.
Minori in Domo gravioribus humeros oneribus submisit,
laboriosissimam nactus provinciam,

Vladislavianus Cursûs Philosophici Professor,

integrum vastô animô absorpsit Eurippum,
totumq; in animos numerosi transfudit Auditoris.
Gradatim cum crescant labores,
à minoribus ad majora ascenditur.
Fracta glacie Philosophica, superato Stagyritico æquore,
scopum honoris attingere ratus,
scopulum laboris offendit.

Purpuratus Artisticæ Facultatis Decanus.

illum cum murice induit genium,
quô sorte quavis certare paratus,
munere & onere sub tanto, indefessus Athleta videretur.

Nec

Nec satìs mirari sufficit,
subtilem in argumentando Philosophum,
facilem in demonstrando Astronomum,
Sacrumq; profanumq; in Rostris Oratorem,
adhuc stupere necessum.

Zelosus ille Verbi Divini Præco!

limatâ sacri oris facundiâ
communes sibi applausus, & populi promeruit ora.
Noverat ipse optimè,
investigabiles MARCHIONALIUM ALITUM Polo in Lechico vias,
quas in altum Capitanealis Craciæ Præfecturæ
officiosâ insequebatur pennâ,
SOBIESCIANUM SCUTUM
SERENISSIMI JOANNIS III. POLONIARUM REGIS,
inter Astra relatum,
Oratorio adumbratum lumine,
in perpetuas fecit æternitates lucere.
Ad Sepulchralem DASZCZYNII Lapidem,
velut ad Lydium marmor,
aureum Eloquentiæ suæ probavit talentum,

Viâ Juris.

quâ ad Doctoralem Juridici honoris Lauream
STANISLAO præcurrebat KUTLINOVIO,
metam gloriæ attigit immortalis.
Non hìc tamen meta meritorum, non hìc ejus laborum terminus,
procedit ut ad honores, ita ad labores

Plus ultra.

Conjuratìs in unum Patrum animis,
conspiratìs Majorum votìs,
Majus vocatus ad Collegium,
ad majores invitabatur curas.
Successivo enim motu virtus ad honores procedit,
festinata gloria ruit in præceps,
nec diuturna quæ violenta.
Eminentiori honoris constitutus in gradu,
eminentiùs laborat,
quasi à natura magìs ad laborem,
quàm ad vitam esset genitus.
Individuus quippe est comes honoris labor,
ut & splendor Solis.
quò Sol altiùs ascendit, eò lux augetur illius.

Quæ nè

Quantò crescit altitudo honoris,
crescit tantò magnitudo laboris.
Usitata paucis usus Anaphora,
Philosophici Cursûs Olympia,
nuper trita iterum decurrit.
Decanali cum Purpura sangvineos iterum geminavit sudores.
Vice utraq; eò gloriosiori successu,
quò onerosiores cohonestando spartas.
Ferax Laurearum arena Philosophica,
laboriosissimo suo Colono,
gemmea pro sudoris semente,
auream trophæorum messem,
centuplo cum fænore refudit.
Ornabatur ab eo Peripathus,
virenti non duntaxat Corymbo,
sed & Virîs laureîs coronatîs,
frontes quorum eruditas,
dignissimus pluries redimivit Promotor.
Publicis, quà priuatîs Stoæ præventus functionibûs,
ad pertractanda nihilominus Universitatis negotia,
Generalia Regni ad Comitia Legatus Varsaviam,
ad promovendum CANTIANI Honoris interesse,
Varmiensem Emissarius, in Provinciam,
ad discernendos Regni & Silesiæ limites,
exdividenda quà Regia, quà Terrestria bona,
dislimitandas Procerum hæreditates,
diversas Poloniæ per Provincias, Palatinatus, Territoria,
Geometra invitatus Juratus,
integer adhuc superfuerat.
Ubiq;
pari in Matrem amore, in Patrem fervore,
fide in Patriam.
strenuè decertabat.
Rebûs sic omnibûs,
domi laudabiliter, foris gloriosè gestîs,
tam hîc, quàm illic optimè,
Philosophicas Artista dum linquit Cathedras,
Sacrum Divæ Facultatis conscendit suggestum.
Subsiste hîc calame!
canat THEOLOGUM Apollo,
tu ut mortuo vitam æternam,
ita similes Academiæ Cives precare.

CLAS-

CLASSICUM III.

CLASSIS POETICÆ

trIstI De fato eLegIa
MVsas
perCeLLens.

Quæritis! unde putem Parcis data nomina Parcæ?
Quòd nulli parcant: cognita causa mihi.
Scilicet una manet mortis sententia cunctos,
Magnis seû parvis, una terenda via est.
Flos hominum rapitur, nec spe comitante coronat,
Conteritur subitò, mox velut umbra fugit.
Trux Libitina ferox, miseros desævit in omnes,
Respicit emeritos haud malesana Viros.
Pallent cum trabeis fasces, cum plebe Curules,
Sistit Apollineas ultima meta rotas.
Hæc ego mecum alta dum mente revolvo Pòësis,
Fama canit mæstum,, classica mæsta sonant.
Flete jubet sacro Parnassi culmine Musæ,
Ubertim lachrymis Castalis unda fluat.
Sinite jam dulces pia Numina tollere fontes,
Mollia nec solitis plectra movete sonis.
Dira sed infaustos confundant carmina questus,
Tristia ferali corda dolore fremant.
Ite ite ad Lachrymas lugubria fundite verba,
Qui Musas colitis Pieridumque nemus.

Quæ ratio quæro tantorum Musa malorum?
Provocat ad mæstos me quia fama elogos.
Occidit Hesperidum Columen jubar (inquit) & Atlas!
Cûi similes utinam sæcula quæque ferant.
Occidit ille tuæ Patriæ Pater, ille colendus,
RECTOR, PROVISOR, Gloria prima Togæ.
Rursus ego: lethum quidnam mihi trîstius unquam,
Hêu superos testor! posse venire putem.
Dic tibi quid nocuit? dic implacabile fatum,
JOSEPHUS meritis & pietate PATER.
Audebasne Virum hunc crudeli sternere falce?
Quem flerent Superi, si nisi flere queant.
Hujus enim candor, pietas, sacer ordo, probati,
Integra conspicui vita decoris erat.
Non satis Urbs Lechiæ Septemque-Trionis ocellus,
Prætextam vitæ sumpserat, ortus ubi.
Non minor & major satis Orbis uterque Polonus,
Quem Maro, quem Tullus, quem Geometra, sophus,
Laudibûs immensîs ornavit, rite replevit,
Ille Mathematicus, bellus & Astrologus.
Sed petiit major Divina scientia postquam,
Iamque Patrum gremio consociavit eum.
Alta DEI mysteria docto volvere sensu,
Pulpita Theologûm scandere quando datum.
Ausoniam petiit gentem, Romamque potentem,
In Latio è Patrio limite colle stetit.
Sedes illa Petri, quæ Pastoralis honoris,
Facta Caput, tanto plausit amica Viro.

Ingenium solidum Proceres stupuere Quirini,
Longiùs optâssent complacuisse sibi.
Nomine cognato, traxisse morasque diesque,
Favisset meliùs viribus aura modò.
Externis igitur Patriam remeavit ab oris,
Matris Academiæ pulchra Corona, Decus.
Denuo consvetos amplectitur unde labores,
Et quò plùs sudat, tædia nulla capit.
Cursus Moralem Speculativumque triennes,
Exegit felix, quanta trophæa tulit!
Publica dum thesibûs latis certamina obiret,
Conclusit de se, quô fuit ingeniô.
Sic vincunt faciles quibus est sapientia præstò,
In spolium Victrix gloria cedit eis.
Explicuit prisci numerosa volumina Moysis,
Qui primi terras incoluere viri.
Qui sacri Vates Mundo cecinere trophæa,
Quiq; Palæstinis, Regna habuere locis.
Terrea quæ solitæ venerari Numina gentes,
Illiades operum duxit in omne genus.
Perfida quàm sævos passa est Judæa Tyrannos!
Illius à calamo promeruere fidem.
Verbi Incarnati secreta profunda revolvens
Hæreseos tenebras nonne fugavit atras?
Sancta Redemptoris pandens oracula CHRISTI
Creditus est superûm verior esse Tripos.
Quid referam castæ quæ vixit tempora vitæ?
Constantemq; viam, perpetuumque decus.

Cûi gravitas blandâ non majestate timenda
Et morum integritas duxque comesque fuit.
Herculis instar erat casus infractus ad omnes,
Intrepidæ mentis, grandia quæque gerens.
Ac ideo multis statione laboribus unus,
Palladia functus sæpiùs ille fuit.
Annis ultra decem PROCURATOR Generalis,
Tot curas gessit dexteritate graves.
Historiographicô calamô quodcunque notavit,
Grande secuturæ posteritatis opus.
Mysta sacer memorem quantis sacraria Divûm,
Officiis coluit Relligione sacrâ.
CANTIUS Ilcussi structum quòd habere sacellum,
Spectatur, Pastor fecerat ære bonus.
Testis in antiqua korczyn Ecclesia curæ,
Pervigilis, semper grata loquetur eum.
Quam splendore novo fecit fulgere, Rosetum,
Plantavit, Christi plenus odore JOSEPH.
Et siquidem emeritos celsi comitantur honores,
Præcinxit doctum laurea Sacra caput.
Doctoralis apex cur non cessisset honoris,
Illi, qui summos vicit in arte viros.
Quando Theologicis studiis ceû natus acutè,
Dogma pium fudit, quod stupor omnis habet.
Iam Vice-PROVISOR quartâ trieteride, tandem
PROVISOR Cracias rexit in arte Scholas.
Æstimat inde togata Virûm Respublica multùm
Appretians magni munia tanta PATRIS.

Talibus

Talibus implicito curis dat præmia digna
Hanc confert ſedem, quam colit alma quies.
O ſi non cupidis eſſes præreptus ab aſtris
Delicium noſtri lux Cynoſura Poli!
Quare inter gemitus cordis triſtemq; Cupreſſum,
Hoc mihi vel ſaltim dulce levamen erit.
Quòd ſapiens animus totus poſt funera vivit,
Crudelis doctis non Libitina nocet.
Talis vita, Tuum ſervabit Magne POPIOŁEK,
Nomen inextinctum ſæcula longa ferens.
Ah ah Vir memorande ſubiſti funera, fatis
Ceſſiſti, faſtis digne notande Cedris.
Cur ego ſed graviùs mea viſcera rumpo dolore
Muſa, reor tanti nulla medela mali.
Vive polô, ſupereſſe ſolô cùm ſpreveris, Ipſe
Jungat ut Angelicis Te DEUS oro choris.
Juſta parentantes Muſæ velut agmine factô
Hæc PROVISORI, ponimus in tumulo.
Æternam requiem det ei DEUS Omnipotens; ſit
Meta, DeCor, CæLô, VIta perennIs eI.

Pierides iterum: paulò majora canamus,
Grammaticæ hæc Claſſi linquite fama jubet.

CLASSICUM IV.

CLASSIS GRAMMATICÆ Gravi dolorum accentu VOCALE.



Illenas inter ærumnas quibûs opprimimur mortales, hoc vel maximè lethale infligit vulnus, quòd quidquid atrocibus libet fatis, hoc in humanum genus licet. Hæc etenim est fatorum malignitas, ut *omnia sub leges mors vocet atra suas*, hæc vesana Libitinæ rabies, ut nihil fatalem illius effugiat ictum. Proh dolor! invicti monstrorum Domitores Hercules tristi vincuntur lethô, strenuissimi Regnorum Victores uni Lachesi cedunt in spolium, & quibus unus non sufficiebat Orbis, tricubitalis sufficit urna. Nemini parcunt Parcæ, vitam furantur furentes in mortales Furiæ, vitæ dirimunt stamina, & fatali præscindunt falce. Fortissimos Achilles, invictos Annibales, Africanos Scipiones, Semideos Heroas trecentosq; Fabios una fatorum abstulit dies. Conticescit Gradivi io, resonantes obmutescunt lituorum clangores, horrendi armorũ silent strepitus, ubi tuba mortis ferale canit Classicum. Dissipantur obscura bellorum nubila, micantia evanescunt gladiorum fulgura, Martialia silent tonitrua, dum fatali Libitina perstringit fulmine universos. Nulla vis mortalium adversùs fatorum impetum consurgere potest, contra mortis jaculum non valent fusi chalybe clypei, inermes sunt quanquam catafractæ Martis legiones contra mortis fortitudinem. O potentiam fatorum! ô vesanum mortis furorem! quæ tot invictos vicit Heroas, tot magnanimos prostravit Hectores, de tot hostiũ victoribus triumphavit. Vesano fatorum robore ferrei confringuntur Ferrerii, Magni cadunt ad ictum mortis Constantini, neq; quidquam est stabile, ut violento fatorum non ruat impetu. O miseram hominum sortem! ô deflendum mortalium statum! ô male-

ô malesanam Parcarum rabiem! quousq; tandem in humanum genus sævietis. Eadem hora, quâ exordium vitæ inhoamus, fatalem experimur epilogum. Primum vitæ punctum lethalem cordi infert puncturam. Necdum à Lucina lactati in cunabulis, jam à Libitina translati ad urnas. Necdum bene reptamus pueri, jam violentis rapimur fatis. Vbi ulterioris vitæ inauguramur incrementa, ibi ejusdem noscimus decrementum. Nulla dies sine ultima linea rerum, nulla hora sine ferali pulsu, nullum momentum, in quo fluentes fatali cinere clepsidræ mortalibus non metiantur monumentum. Devehitur curriculum vitæ per annorum tractum ad tumulum, annus & dies quilibet à fatis nefastus. labuntur tempora, currunt anni, fluunt horæ, sed nunquam sine fatali casu. Ubi sunt illa Coronata Regum Capita, ubi redimita Principum Mitris tempora, ubi chalybeis armati galleis vertices, ubi cinctæ Laureatis frondibus frontes, en ferali demessuit Libitina falce, en in casses prærupto vitæ stamine instructos capit mortales veluti aranea muscas, & sive serius sive citius metam cogit properare ad unam, Solia Regum æquantur solo, Supremæ Regnorum Majestates transmutantur in sarcophagos, aurea Regnorum poma edax mortis corrodit vermis, distincta aurô gemmisq; Monarcharum diademata lethi consumit rubigo, Cruciferæ Principum Mitræ non sine mortis cruciatibus, purpurei Senatorum Murices fatorum consumit tinea, corrumpuntur Ducum laticlavia, ubi clava mortis imperat, Mareschalcales Scipiones ad sepulchralem franguntur lapidem. Ita sanè: pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumq; turres, omnem propulsat lætitiam, ipsos planctus & diluvia relinquit lacrymarum. Apertum diræ mortis paradigma in *MAGNIFICO* olim *PERILLUSTRI & Admodùm REVERENDO DOMINO*, M. JOSEPHO GREGORIO POPIOŁEK Sacræ Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE &c. Viro gravissimis infracto laboribus ad emissum Lacheseos jaculum collabenti, ferales dolorum ferias inclinatis præ justo mærore Academi surculis casum per declinabilia temporum spatia nunquam ablativum relinquenti. Exundat hodie Grammatica in immensum luctuum oceanum Pallas, Principem agit dolorem, congruo sermoni vacans; quot suspiriis cordis, tot ingeminatis vocibus, tot pon-

dera

dera vocis habentibûs lacrymîs perorat, ubi PROVISORI suô Parcæ nemini parcentes imposuerunt silentium. Scinduntur in partes præ dolore congregata Juventutis membra, ubi caput suum falce mortis avulsum sentiunt, & advertunt. Deplorant orphani Filii benignum PATREM, Gentis Togatæ ornamentum, Poli Academici primæ magnitudinis sidus, illius vitæ spolia lugubri apparatu instruunt, funebrali adornant pompa, ut eâ singultuum vehementiâ erumpat dolor in lacrymas, quantam publicæ magnitudo cladis exerit, & evibrat. Intendebatur ille Academicis in laboribus nunquam stationarius, Superis tandem disponentibûs, votis Patrum faventibûs, meritis ad id stimulantibûs stetit Vigil in Vinea Christi, Pastor bonus, ubi ad excubias Herois Floriani oves custodiuntur Christi, segregantur ab hædis, verbô & exemplô pascuntur, virtutibûs Christianis educantur. Edissero: Vigilantissimus Insignis Collegiatæ Sancti FLORIANI PRÆPOSITUS factus, non præesse tantùm, sed & prodesse studuit, ex animo sedulis intendebat curis, ut sibi concreditæ curarentur animæ, ut oves Sangvinis Agni Immaculati unionibûs solutas, ab omni nævo liberas, ad Portionē Vivorū perduceret, in meta sisteret, Visione perfrui beatifica faceret, & in Gaudiū deduceret æviternum. Suscepit redacta in favillam Præposituræ rudera, libentî illa acceptavit animô, non excepit, ex ruderibus structuram magnificam, ex loco vix non deserto habitabilem reliquit Domum, conclavia commoda aperuit, Mansionem augustam intra tempus angustum munifica liberalitate ultimum fundavit ad lapidē, & erexit. Egit RECTOREM ex sedulo Procuratore Magnificum, gravem pro Authoritate, benignum, pro affabilitate, lenem pro clementia, severum pro justitia, pro conservandis Legibus Vindicem & Vltorem acerrimum. Sic in bilance Divæ justitiam & clementiam appendit Astreæ, ut teneret inter utramq; æquilibrium, clemens simul & severus, misericors videretur & æquus. Sub Sceptrifera Cruce Atlantem egit indefessum, sub Rectorali Purpura quam repetitis vicibûs in emeritis gestabat humeris alter redivivus ad frangendos labores Hercules, non piger Ephorus apparebat. Ita liberos Sapientûm regebat animos, ita Eruditis præfuit, ùt exigebat ordo anima rerum, ita Rectorales moderabatur Fasces, ut fastu nefasto puniret tumentes, ut

inson-

insontibus affabilitatem, transgressoribus severitatem, contumacibus directionis adhiberet virgam, verè Rector cordium & animorum, Conservator Legum, Defensor Literariæ Reipublicæ. Quidquid decrevit, nihil non justum, quidquid dixit aurô cedrôq; notandum, nihil non æquum, nihil intemeratæ contrarium conscientiæ, nihil pudoris Rectorali Purpuræ causativum. Tantìs ornatus dotibûs, commendatus qualitatibûs, ardore rectegestorum cor accendit ANDREÆ, à Celsissimo Illustrissimo & Reverendissimo Domino, D. ANDREA STANISLAO KOSTKA in Załuskie ZAŁUSKI, ANTISTITE Cracoviensi, DUCE Severiæ, Almæ Universitatis Cracoviensis CANCELLARIO longè Faventissimo, PROCANCELLARIUS Theologicæ & Philosophicæ Facultatum constitutus; sic huic incubuit oneri, ut morbi gravamine pressus contremiscentibûs pedibûs ascenderet Cathedram PROMOTOR Orbi nunquam Literìs orbo augeret Subjecta, Actum illum Candidatorum Secundæ Laureæ verè secundo omine, gemmìs verborum appretiaret, exornaret. Spartha quæ illi contigit Academica, etiam ad tactum debilitatæ sanitatis sic ab illo adæquatè peracta, ut per Literarium Orbem clamosìs Sapientûm spargi vocibûs mereretur. Tenuit clavum, Archinavarchum egit, PROVISOR Vigilantissimus in Classibus, quas ille Melitensis Eques sua liberalitate à littore solvit Novodvorscius ne prora Juventæ ignorantiæ allideretur scopulis, scopus extitit, meta factus est, & terminus tendentium ad bravium Sapientiæ. Quoties in Literarium pedem moverat Campum, toties à planta Flores illi Lechici dulcioris sparserunt doctrinæ odorem, toties armìs inermes, scriptoriis pugnabiles calamìs illis hastatæ Pallados Milites docta jurgia, & sævos cum ignorantia peregere conflictus, toties arenam expolivit Literariam, toties Scholasticas athomos concrescere fecit in Olympum omnigenæ laudis, & triumphi. Verè fortunatum sub tanto Duce Novodvorscianarum Classium navigium, sub quo tenellis etiam artubus, hostem immanitate barbarum ignorantiam vincere, captivare & enervare fuit ordinariũ. Verùm ô malitia fatorum! casses non evitavit mortis, qui involucra desidiei evitari docuit, legi succubuit Libitinæ, cui non sponte sed ultro ad vota Patrum in auge honorum eminere libuit, abiit in Regionem vivorum, qui ibat illæsus per ardua laborum, qui

stabat

ſtabat alter Hector pro Troja, pro Ateneo literarum. Sacramentîs contra mortis impetum munivit animam, in viam æternitatis Angelico refectus Pane, ut non remorante paſſu metam attingeret, ad Nuptias AGNI Immaculati perveniret. Cùm jam nox æterna illius increbreſceret oculis, LUMEN de LUMINE DEUM, SOLEM Juſtitiæ pretioſiſſimo Purpureum Sanguine extremiſantibus adhibuit labiis, ut revelata facie, viſione Illius frueretur beatifica. Singulariſſimā in vita quemadmodum ſibi elegerat Patronam ſinè labe Conceptam MARIAM, ita in ultimo vitæ conſtitutus margine, cauſam ſuæ ſalutis ante tremendum Judicis DEI Tribunal commiſit Illi promovendam, dum inter anagogicos amplexus & dulcia Sacratiſſimæ Illius Effigiei oſculamina, piam animam expiravit, nonniſi poſt ſolennem Ipſius Viſitationis Octavam in Sion beatificæ Viſionis transmigravit. Decimo die Julii magnitudine meritorum omniq; virtutum perfectus genere quievit in Domino. Feſtivo Sanctorum ſeptem Fratrum Dormientium die, ad quævis optima feſtinus ſoporatus. Quintâ ante veſperum horâ, ſecundâ hebdomadæ feriâ, quinq; ſenſuum coronandus laureolâ, mane intuiturus glorioſum, ſecundis auſpiciis in Domum æternitatis ſeſe contulit & recepit. Abiit ergo, ſed non obiit, vivit in memoria rectefactorum ſuorum, vivit in doloroſo Almæ Matris pectore, vivit in amicorum propenſione, in Clientûm obſequio, in ſubjectorum gratitudine, in Muſarum amore, vivit & vivet, perennat, perennabit. Plangunt Ordines Academici RECTOREM, Filii Patrem, Novodvorſciana Juventus PROVISOREM, Amici Corculum, Orphani Protectorem, derelicti PROMOTOREM, Muſæ ſuum Delicium, Pallas ſuum Anteſignanum, plangunt, lugent, & dolent, quibus mors ejus lethale inflixit vulnus, & in pace requiem precantur ſempiternam.

Permiſſu Magnifici Domini
RECTORIS.



Regestr Panegiry pogrzebowych

A.

1. Acumen Doloris explicatum
2. Ad mentem Patriæ Caput

C.

1. Clavis Aurea fracta
2. Classica Mortis feralia

D.

1. Dissertationes super rubricas.
2. Dolorum Oneraria navis. producta.
3. Dolor Patriæ æternus

E.

1. Encomium ad solennes Exequias

J.

1. In Obitum Serenissimi Principis.
2. Iactura Orbis Literarij transmissa.

K.

1. Xsiężycz adumbrowany.

L.

1. Legatus renunciatus.

M.

1. Memoria Seculorum intimata
2. Monumentum Doloris dedicatum.
3. Monumentum Consecratum
4. Mowa na pogrzebie
5. Munus Dolorum

P.

1. Parasceve Descripta

S.

1. Splendor Consecratus

T.

1. Tropheum wyrysowane
2. Tropheum Consecratum

V

1 Vivat Aeternum impressum
2 Viva Mors seu Morti superstes

